aut Brentij aut Nicolaitæ illius impudentissimi: sed Augu-
stanam Confessionem et scripta Didactica Lutheri, Philippi,
et similium candidè judicantium. Rem feceris mihi pergratam,
& me ad tua etiam facies paratum. Benè vale. Heidelbergæ
postridie Natalis Dominicæ. Anno 1604.

42.

D. Pareus

D. Johanni Piscatori salutem à domino Jesu.
Non putavi periculum in morâ esse, vir Clarissime,
ideo scriptionem hanc cum reliquis ejusmodi ad
ferias nostras consultò distuli, maximè ob argumen-
ti δοχέστιαν. Neque enim delector talibus concerta-
tionibus: ac dolendum est graviter, saepe quæri
nodos in scirpo, et quemque esse sui tenacem propo-
siti, quod semel placuit, ut nihil concedendum putet
publicæ paci, mox etiam pro adversariis haberi, qui
in aliquo dissentiant, vel nos moneant. Hoc pro-
fectò est radix omnium turbarum, quibus Ecclesia
hodiè concutitur. Si sententiam pristinam
περὶ τῆς δικαιώσεως, quod mihi objicis, abjecissem,
cognito sive errore, sive ἀκυρία, nihil ejus me
puderet, sed non abjeci: etsi commodius explicare,
et ob Ecclesiæ tranquillitatem omninò explicui,
eandem esse ex Apostolo, in cujus interpretatio-
ne nunc versor, didici. Fateor enim me ex iis
esse, qui docendo discere, discendo consenescere
cupiunt. Διπλοφέστιαν imputationis nunquam pro-
bavi, nec probo, quia in Apostoli sententiis non
invenio, nec etiam Gallicanâ confessione, quæ tibi
et nobis oblata fuit, continetur. At merito
etiam

etiam justitiæ nostræ nihil obedientiæ Christi unquam
exclusi, aut nunc excludendum puto, quia obedientiam
Christi citra partitionem, aut exclusionem ullam, ut
meritum justificationis omnis inobedientiæ Ada-
mi Apostolus opponit. Dico justificationis omnis,
hoc est, non modo ejus, quæ fit per absolutionem,
de qua propriè ibi agitur, et nunc quæritur: Sed
et ejus quæ per regenerationem in justificatis nunc
inchoatur, in coelis perficietur, quod ipsum tu re-
cte in refutatione Bellarmini observasti lib. 2.
cap. 2. quodque futurum verbum Apostoli κατασταθή-
σονται prorsus indicat. Negas obedientiæ activa-
lis Apostolum facere expressam mentionem. Sed
ostende tu exclusionem; qui totum dicit, partem
non excludit. Sed abjice tu quæso [illegible] passivæ
et actualis obedientiæ, sive justitiæ, litis fomitem.
Potius agnosce in Mediatore justitiam personæ, quæ
ipsius, et justitiam meriti, quæ nostra est: sub illa
habebis justitiam formalem, divinam et huma-
nam: sub ista universum obedientiæ cursum, quem
agendo et patiendo nostrâ causâ, et prò nobis usque
ad mortem crucis exantlavit. Disce etiam meum
inter satisfactionem pro culpa, et meritum justi-
tiæ discernere. Nulla satisfactio est meritum,
nullum meritum est satisfactio per se. Satisfa-
ctio non est debiti redditio: meritum indebi-
ti præstatio. Et Christi tamen obedientia utrumque
est, acceptatione Dei: satisfactio per mortis suæ
itionem propriè: meritum per totum obedi-
entiæ cursum. Sic enim Apostolus, si benè ob-
servasti, inter δι' ἑνὸς δικαιώματος (quod satisfactio-

nem exprimit) et inter διὰ τῆς τοῦ ἑνὸς ὑπακοῆς
(quam meritum justificationis facit) propriè discer-
nit. Hac distinctione facile expediuntur, immò con-
ciliantur argumenta, quae alii pro passiva, alii etiam
pro activa obedientia nectunt. Sic te facilè expe-
dies, videbisque, me diversum non scripsisse priùs
ad vos, maximè ad generum tuum Cl. Andream,
et ad Generosum Comitem Witgensteinium. Si ad
te, quod non recordor, inscriptum volo. Quae
breviter et amicè ad tuas tibi suggerere volui,
ut in timore Domini de hac re amplius cogi-
tes, et paci consulas. Nemo adiget, vel obtru-
det tripartitam illam imputationem: de qua
ipse monui D. Revaldum, ne tibi litem moveret,
sed in confessione (quod te facturum minimè du-
bitabam) acquiesceres. Modò non excludas,
ubi Apostolus nihil excludit: ac denuò videas,
annon in commodissima explicatione Calvini
lib. 2. cap. 16. Sect. 5. acquiescere possis, in qua fa-
teor me acquiescere. Sed nullo ego sum numero, nec
mihi cum quoquam de hoc litem esse volo. Licebit
dissentire per me in hoc, et aliis non paucis,
qui volent, modò non scindant nobis pacem, et
consensum ὀρθοδοξίας. Habet enim hoc seculum
φιλόκαινον haud parum αὐθαδείας, cui videtur ali-
quid indulgendum: modò ne quid nimis. Videamq;
potius, quae lites nos foris circumstent, et hîc
stemus in procinctu pro veritate orthodoxa.
Feliciter Vale. Quod mihi de filii mei Philip-
pi florescente famâ gratularis, pro eo ac

debeo gratias tibi ago, vicissimq; tibi ac tuis à Domino benedictionem precor. Heidelbergae. 24. Julii 1604.

D. Danieli Nebelio JC. Academiae Rectori 43.
Salutem à Domino Jesu.

Magnifice Domine Rector: Casum propositum: An marito liceat ducere filiam sororis uxoris defunctae, et, an concubitus cum ea sit incestus: Moses non habet, nec vetat directè vel indirectè! Brentium legi, qui non indiligenter interse comparat leges Mosis, Imperatoris et Pontificis de affinitate interdicta. Pontificiam prohibitionem, de qua constat, intra quantum gradum nullius facit, quia Pontifici vendebatur nullam concedit jure divino: et rectè nec judicio. Quoniàm igitur nec Mosaicâ lege, nec etiam Caesareâ seu Romanâ conjugium tale prohibetur, naturali jure haud esse illicitum, statuere videtur: ex Regula: quod illud pro JURE NATURALI habendum sit, quod inter legislatores praecipuarum in toto orbe politiarum, hoc est, Judaeorum et Gentium, quae divinitus confirmatae sunt, convenit. Quare nec concubitus incestus erit jure naturali. In Palatinatu tamen nostro conjugium illicitum habetur, et concubitus incestus positivo jure, quia sanctio Palatina expressè prohibet: Der man sol nicht haben seins weibs brüdern oder schwestern tochtern, hoc est, vir ne ducat uxoris suae fratris aut sororis filiam. Extra Palatinatum, ubi sanctio talis non est,